

ius hoc negligi oporteat. Interim oppignorare posse dominum dominium directum suum posse sine vasalli consensu, modo spes sit liberationis, volunt. *Schneid. P. VII. num. 25.*

CAPUT XIX.

DE

CONTRACTIBUS CIRCA FEUDUM INIRE LICITIS, VEL NON.

I.

*Dispositio
vasalli de
feudi.*

UTile dominium, seu Jus omnem utilitatem ex feudo capiendi cum habeat vasallus, *II. F. 8. 23. Cap. II. §. 8.* nullum dubium est, quin intuitu feudi omnes contractus celebrare possit, qui utilitatem istam promovere poterunt. Hinc e. g. locare feudum alteri potest, *II. F. 9.* etiam in longum tempus, *arg. L. 39. ff. loc. at. licet,* si domino, vel agnatis feudum delatum, locatio expiret. *L. 31. ff. de pignor. & hypoth.* Modo tamen non ex illo contractu conditio, domini reddatur deterior, *II. F. 8. §. 1.* illi invito alterius sanguinis vasallus obtrudatur, *II. F. 12.* sicque contemptus nascatur domini *II. F. 24. in fine.* Quin & in feudo antiquo agnatorum *II. F. 52.* & in foro Saxonico simultanee investitorum ratio habenda est, quibus facto possessoris vasalli, imo & domini, iniqua conditio adferri nequit,

*Non post
feudum
alienare.*

II. Sequitur inde, vasallum feudum alienare non posse sine domini & agnatorum, vel simultanee investitorum speciali consensu, *I. F. 13. II. F. 40. 44. 52. Jus Feud. Alem. Cap. XXVI. Cap. LV. Sax. Art. LXIX.* nisi hac lege feudum datum & acquisitum, ut sine speciali consensu alienari queat. Vid.

Cap.